Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

moyses. sed tu domine deus meus eterna veritas
ne forte moriar et sine fructu efficiar
si fuero tantum foris amonitus et intus non accensus
ne sit michi ad iudicium verbum auditum et non
factum, cognitum nec amatum, creditum et non
servatum. Loquere igitur domine quia audit servus tuus.
Verba enim vite eterne habes. Loquere michi
ad qualecumque anime mee consolationem et
ad tocius vite mee emendationem. tibi autem ad
laudem et gloriam et perpetuum honorem.

Quod verba dei cum humilitate sunt
audienda et quod multi ea non ponderant

.iii. Audi fili mi verba mea. verba sua-
vissima omnem philosophorum et sapientum huius
mundi scienciam excedencia. Verba mea
spiritus et vita sunt. nec humano sensu pensanda.
Non sunt ad vanam complacenciam trahenda
sed in silencio audienda et cum omni humilitate
atque magno affectu suscipienda. Et dixi.
Beatus quem tu erudieris domine et de le-
ge tua docueris eum. ut mitiges ei a die-
bus malis et non desoletur in terra.
Ego inquit dominus docui prophetas ab inicio et
usque nunc non cesso omnibus loqui. sed multi ad
vocem meam surdi sunt et duri. Plures mundo
libentius audiunt quam deo. facilius sequuntur car-
nis sue appetitum quam dei beneplacitum.
Promittit mundus temporalia et parva et servitur